

gredinem exstinxit. Superaddidi oleum Tartari; atque non quidem Nigredo, ut vult Willifius, Brunus tamen color in mistis liquoribus, cum ebullitione insigni, est enatus. Et hucusque ductu Willifii. Additus iterum Vitrioli spiritus serena rursus & clara reddidit omnia, quae vero oleo Tartari identidem addito, brunescabant; & haec periodus haberi potest millies. Aliquando demum affudi solutionem § ii sublimati, & Color Opalinus emerfit. Plures alias colorum metamorphoses, exstinctiones, & resuscitationes pridem commonstravi ante triennium publicè hic, in Academiâ, & ante Annum Serenissimo Domino Episcopo Lubecensi, Dno. meo Clementissimo, in Aulâ Utinensi Ejus, quàm quas habet Illustris Boyle in pulcro cateroquin tractatu suo de Coloribus, ante triennium à me vix satis viso. Sed vulgare exemplum intere à nunc ideò adduxi, ut suspectus fieret error, Opalum ideò habere virtutes gemmarum quasi omnium, quod omnes contineat colores earundem. Imò in genere, cum gemmae nihil aliud sint, quàm Vitra quaedam naturalia, plus minusvè tincta, opinione & censu magis, quàm verè preciosa, existimavi, laudes majores accipere vulgò, quàm mereri. Helmontiani quidam, qui illas tamen pro Speculis habent, quorum intuitu in Morbis tranquilletur furens Archaus, noverint, quid loquantur. Equidem, ut simplicitatem meam liquidò fatear, percipere non possum Radiaturam rerum in Nobis, quam nemo vidit videbit; aut laudare Speculum, quod contritum in Atomos, politurâ caret, in quâ Archaus, oculis carens, se contueatur.

* 4. Bucampe, Eruce genus vulgò incognitum, ex Terra borsensi fortè erutum, & commissum iudicio meo hodie manè ab Affine, Nobilissimo Domino Detlevo Lütghen, Munimenti Regii Fridericiani Praefecto, antequam illud mutationem ulteriorem subiret, curiosis Spectatoribus monstratum, imprimis, quod neque ex Priscis quisquam, nec inter Recentiores hodie Joh. Gödartius, Reptilium, in Insecta volantia dein abeuntium, Medioburgi Spectator sedulus, ac ipse Pictor & Sculptor in arte elegantissimus, inter ipsas 130. Reptilium species, Bucampen nostram facile cognovit, nisi forsàn ex illius part. i. bistor. Insectorum figuram 24. quis velit trahere huc, in quâ tamen aliqua manifestò sunt diversa. Et Dn. D. Th. Bartholinus quidem lib. d. Unicorn sub fin. cap 9 pag 61. Bucampes iconem dat, sed, culpâ Sculptoris, minus accuratam: Fabius Columna, in Observ. Aquatil. & Terrestr. cap. 16. pag. 36. paulò accuratior rem.